





DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA

DE

1751/1

27  
X

# PERMISSO OB INSIDIAS VITAE STRVCTAS DIVORTIO,

QVAM

EX DECRETO ET AVCTORITATE

## MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS

IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA VNIVERSITATE  
ERFORDIENS<sup>I</sup>,

SVB PRAESIDIO

## DN. JO. GEORG. BRÜCKMANN,

J. V. D.

13/1

JUDICII ARCHI-EPISCOPALIS ECCLESIASTICI ET ELECTORALIS PROVINCIALIS  
ASSESSORIS, NEC NON PROFESSORIS PVBLICI, ET CIVITATIS ERFOR-  
DIENSIS CONSVLIS,

PRO SVMMIS IN VTROQUE JVRE HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CAPESENDIS,  
IN AVDTORIO JCTORVM MAJORI

HORIS CONSVETIS

DIE XXIII. AVGUSTI MDCC LI.

SOLENNI ERVDITORVM VENTILATIONI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

## CHRISTIANVS LUDOVICVS GERSTENBERGK,

RONNEBURGICO-OSTERL. IN DVCATV ALTENBURGENSI  
ADVOCATVS IMMATICVLATVS.

ERFORDIAE

Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.



LIBERUS ET LIBERTATIS  
PERPETUA QD IN HOMINIS  
& NATIVITATIS  
MAGNITUDINE, ORVM ORDINIS  
DR. IO. GEORG. BRUGMANNI  
PRO SAVVINA  
1501  
CHRISTIANAE LIBEROCONE

VIRO  
PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
**ALBRECHTO**  
**ANTONIO**  
**DE RVXLEBEN,**  
DYNASTAE IN BADEN  
ET RVXLEBEN,

CELSISSIMO PRINCIPI SAXO-GOTHANO  
A CONSILIIS INTIMIS ET CANCELLARIO  
IN DVCATV ALTENBURGENSI  
GRAVISSIMO,

MAECENATI SVO  
SANCTE DEVENERANDO.

PERILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIME  
DOMINE,  
**MAECENAS**  
PIE DEVENERANDE!



ui præsentes Dissertationis inaugu-  
ralis pagellas tam submisse, quam  
devote dedicarem deliberare mi-  
hi non licuit; jure enim merito ad TE Per-  
illustris & Excellentissime Domine! hic la-  
bor & conatus academicus dirigitur; hoc  
ipsum

ipsum exposcunt præclaræ TIBI innatæ  
virtutes, inter quas eminet sanctissima in  
Deum religio, & profundissima omnium ju-  
rium scientia, nec non singularia in rempu-  
blicam nostram merita, quæ TE ad sum-  
mum dignitatis gradum evexerunt. Ex te  
enim velut e publico lucis fonte splendidis-  
sima & uberrima consilii & peritioris facun-  
diæ flumina promanant, ea in conficiendis  
negotiis tam publicis quam privatis, tibi  
congenita est dexteritas, ut laborum cumu-  
lo distineatur (quæ excelsarum mentium in-  
doles est) devotas minimorum etiam subdi-  
torum preces non despicias. Proinde &  
ego spe fretus vivo, fore, ut meam hanc *de*  
*permisso ob insidias vitæ structas divertio* dis-  
sertationem tam benigna fronte suscipias, ut  
sub magnis Nominibus Tuis, præter quæ  
in ea nihil magnum est, cohonestetur, at-  
que

que sub felicissimo hisce auspiciis tutissima  
fruatur clientela, præsertim vero contra No-  
vercantem fortunam sortemque iniquam  
fortissimo gaudeat præsidio, ad quod me re-  
cipiens supremum Numen ardentissimis pre-  
cibus exoro, ut TE perillustrem ac Excel-  
lentissimum Dominum ad seram usque se-  
nectutem sospitem ac incolumem conser-  
vet: quod pro Patriæ, suique ipsius salute  
devotissime votet

PERILLVSTR IS EXCELLENTISSIMI  
**NOMINIS TVI**

Erfordiæ die 22 Aug.

1751.

CHRISTIANVS LVDOVICVS GERSTENBERGK.



Q. D. B. V.  
CAPVT. I.

De Divortio in genere, ejusque cau-  
sis in lege divina expressis.

§. I.

**D**inam, quantus est dissensus hominum quo ad vultum, tantus esset consensus animorum! hic enim in hac societate humana insigne advertimus divortium: plane enim, ut Poeta canit, *velle suum cuique est, nec voto vivitur uno;* Sic quamvis matrimonium sit individua viri & mulieris coniunctio, divina autoritate contracta, saepius tamen divortium institui quotidiana Ecclesiae praxis comprobatur. Dicitur autem Divortium teste J Cto in l. 2. ff. de divor. vel a diversitate mentium, vel quod in diversas abeant partes, qui matrimonium distrahunt. l. 191. ff. de verb. signif.

A 2

Divor-

Divortium alias & repudium in l. 3. § 4. ff. de divort. promiscue ponuntur, in se tamen differunt: siquidem divortium inter eos proprie fieri dicatur, qui jam actu matrimonium contraxerunt, repudium vero inter illos, qui sponsalia tantum celebrarunt: unde si sponsus recedat a sponsa, non dicitur divertisse, sed repudiasset, & vir, si recedat ab uxore, non recte dicitur repudiasset, sed divertisse. Definitur Repudium, quod sit sponsarium validorum ob justam causam invita altera parte a Magistratu competente facta dissolutio, vide KIZEL. in Synopsis. matrim. c. 8. ib. II. ex qua definitione pater, quod sponsalia firmiter ac valide contracta hoc modo tantum rescindantur, sponsalia enim ipso jure nulla, cum nullum inde nascatur vinculum, nulloque modo obligent, proprie non rescinduntur, sed pro nullis soluta declarantur. CARPOV. l. 2. Jurispr. Confessor. tit. 2. def. 18. unde in ferendis Sententiis enata est distinctio, & priori re casu pronunciatur hoc modo: Dass die zwischen beiden Theilen getroffene Eheversprechung, gestalten Sachen nach, zu cassiren und aufzuheben, auch denselben in andere Wege sich Christlich zu verehlichen billig zugelassen. Posteriore calu sententia ita concipitur: Dass vorkommenden Umständen nach, das angebliche Eheverlöbniss vor beständig nicht zu halten; vel h. m. Dass die angegebene eheliche Zusage vor unkäftig und unbindig zu halten &c. Cumque omnes hac in parte dissolutionis causæ in Jure non sint expressæ, eas discretioni & arbitrio prudentis Judicis committendas esse, arbitramur; ubi tamen hanc regulam generalem præmittimus, toties repudio esse locum, quoties post inita sponsalia nova causa supervenit,

Nit, vel eiusmodi casus contingit, qui si tempore sponsaliorum adfuisset, sponsus vel sponsa nunquam in matrimonium consensisset: quam doctrinam SANCHEZ de Matrim. l. 1. disp. 62. ad sponsalia etiam juramento confirmata extendit, proinde repudium facilius, & ex levioribus causis conceditur, quam divortium.

## S. II.

Definitur autem divortium, quod sit legitima matriti & uxoris separatio, ut colligitur ex l. 101. §. 1. & l. 191. ff. de Verb. signif. a divisione aliud est totale, aliud partiale, illud est, quod dissolvit matrimonium etiam quo ad vinculum, ut patet ex toto rit. ff. de divort. hoc accidit, quando tantum quo ad thorum & mensam fit separatio, salvo manente vinculo conjugali, ita ut altero vivente neutri liceat ad alia transire vota, diciturque eine Ehescheidung von Tisch und Bett. Causa remota hujus divortii est ipsum jus, quo divertendi licentia conceditur; tametsi enim matrimonium ratione intentionis indissolubili nestatur vinculo, atque vir & uxor sint socii utriusque fortunae, & universa tam humana, quam divina Jura inter se communia habeant, l. 1. ff. de rite nupt. justis tamen de causis divortia a jure permituntur, & saepius matrimonium contra intentionem contrahentium totaliter dissolvitur: causa proxima divortii sunt modi, quibus divortium tum quoad vinculum, tum quoad thorum & cohabitationem inducitur. Varia autem iura, variique ac diversi circa hanc materiam reperiuntur modi. In veteri Testamento ob levissimam causam uxorem dimittere licebat, ita Deus Deut. c. 24. divortium concessit Judæis inquiens, si ag-

A 3

ceperit

perit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit  
 gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem,  
 scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & di-  
 mittet eam de domo sua; unde concludit LAYMANN  
*L. 5. Tr. 10. P. 3. c. 6. n. 1.* & 2. indissolubilitatem matri-  
 monii ex jure naturali, cum Deus in eo dispensare ne-  
 queat, haud descendere; Licet olim a condita Urbe Ro-  
 mana tanta fuerit matrimoniorum concordia, ut ad  
 quingentesimum & vicesimum usque annum nullum  
 divortium, virum inter & uxorem intercesserit, & pri-  
 mus spurius Carbilius uxorem sterilitatis causa dimi-  
 serit, GELL. *lib. 17. c. 21.* postea tamen Jure Romano di-  
 vortium instituere in liberam transiit licentiam, idque  
 fiebat quandoque amicabiliter utroque sc. conjugé con-  
 sentiente per occasionem rationabilem, quæ bona gra-  
 tia vocabatur, *I. 6. ff. de divort.* & 62. *pr. ff. de donat. in-*  
*ter vir.* & *ux.* quandoque citra omnem causam invita  
 etiam altera parte, *Nov. 22. c. 4.* & interdum cum ira  
 animi atque offensa: *I. 32. §. 10. ff. de donat. inter vir.* &  
*uxor.* formulæ divortiorum & repudiorum sunt in *I. 2.*  
*ff. de divort.* Imperatores demum Theodosius & Valen-  
 tinianus divortia ad specificos modos, certasque causas  
 restrinxerunt, *I. 8. §. 2.* & *3. C. de repud.* quas ad succin-  
 etum reduxit numerum Justinianus Imperator in *Nov.*  
*117. c. 8.* & 9. vid. BEZÆ *tradit. de repud.* & *divort.* Ju-  
 re canonico *quoad thorum* & *cobabitationem* partiale di-  
 vortium permittitur vel ob periculum animæ, utpote  
 si conjux conjugem ad gravia sclera sollicitet, *c. 2.* &  
*7. X. de divort.* vel ob periculum vitæ & corporis, ut  
 si fævitia viri talis sit, ut vel *uxor de vita*, vel *de alio*  
*gravi*

gravi corporis malo periclitetur. vid. SANCHEZ libr. 9.  
de matrim. disp. vel denique ob adulterium, votum ul-  
tramarinum similesve alias causas. vid. cap. 2. de diuort.  
& cap. ex multa §. in tanta. X. de vot. Matrimonium  
ratum hoc Jure dissolvi potest etiam quoad vinculum  
duobus modis 1<sup>mo</sup> per conversionem unius conjugis  
seu per ingressum religionis approbratae. Cap. 16. X. de  
spons. cap. 7. X. de convers. conjug. 2<sup>do</sup> per dispensatio-  
nem Pontificiam, si justa & maxima subsit causa, ita do-  
cent ZOES. ad Jus can. de diuort. n. 9. COVARR. de ma-  
trim. P. 2. c. 7. §. 4. n. 21. consummatum vero totaliter  
& quoad vinculum solvi non posse, idem Jus pontifi-  
cium statuit, excepto casu, ubi infidelis convertitur, &  
alteri converti nolenti sine periculo cohabitare nequit,  
sic enim matrimonium quoad vinculum disruppi pos-  
se dicunt Pontificii.

## §. III.

Sed omissis diuortiorum causis, quas in l. Mosaica  
¶ ver. Testam. aequae ac jure civil. ¶ can. expressas legi-  
mus, placet tantum de iis, quæ in novo testamento  
comprehenduntur, & hodie in Ecclesiis nostris obser-  
vantur, agere, & præcipue causas ad totale diuortium  
sufficientes, atque apud nos generatim receptas pertra-  
ctare: ubi primo occurrit mors naturalis alterutrius  
conjugis, Ep. ad Rom. 7. v. 2. ¶ 1. ad Cor. 7. v. 39. quam-  
vis morte potius finiatur, quam dirimatur matrimo-  
nium. Quicunque autem mortuum aliquem esse  
asserit, assertum hoc, tanquam fundamentum intentio-  
nis suæ probabit: Si de morte constet, viris pro lubitu,  
quia in his ratio prohibitiva nempe turbatio sanguinis  
cessat,

cessat, foeminis vero non nisi post annum rursus nubere licet, & quidem sub pena infamiae, l. 11. §. 3. ff. de bis qui not. infam. & amissionis hereditatum, legatorumque, quæ a defuncto marito illis obvenerunt; Hunc tamen rigorem Juris civilis postea Jus can. quod moribus nostris observatur, abolevit, c. p. x. de sec. nupt. imo & reliquas poenas in praxi abrogatas esse affirmat SICHARD. ad l. 1. c. de sec. nupt. vid. GROENEWEG. ad l. 2. d. t. Itaque mulier soluta lege viri nubat in domino, cuicunque velit, 1. Cor. 7. v. 39. dummodo ex priore marito non sit gravida, quia sic aedeset periculum turbandi sanguinis & superfetationis. Secundo obtinet totale divortium propter commissum ab una parte adulterium, Matth. 19. v. 9. ubi dicitur, quicunque diverterit ab uxore, & duxerit aliam, nisi ob adulterium, ille mæchatur: ex quibus sequitur, quod, si quis ob adulterium aliam ducat, is non mæchetur. vid. STRYCK. tract. de diff. spons. sect. 6. §. 8. modo adulterium sit voluntarium, & sufficienter probetur. MYNSING. dec. 1. resp. 1. n. 20. de Jure civili licet maritus cum soluta adulterium non committat, illa tamen conjunctio hoc operatur, ut divortium institui possit. l. 6. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. hodie per adulterium quælibet illicita conjunctio cum extranea persona, eaque tam nupta, quam soluta intelligitur: modo uxor vim passa non fuerit, l. 39. ff. ad l. Jul. de adult. aut maritus ex errore cognoverit aliam, credens, suam esse uxorem, l. 11. §. 12. ff. d. t. aut ambo conjuges hujus criminis rei fuerint; tum enim paria delicta mutua compensatione tolluntur, l. 39. ff. solut. matrim. aut denique pars innocens

innocens nocenti expresse vel tacite v. g. per subsequentem concubitum delictum non condonaverit, in his enim circumstantiis divertere a se invicem nequeunt conjuges.

## §. IV:

Tertia divortii causa est malitiosa desertio respectu tam uxorius quam mariti, est enim utrinque eadem ratio, proinde circa utrumque desertorem idem jus statuendum: 1. Cor. 7. ubi Apostolus Paulus pronunciat, infideli a fideli discedente, fidelem ita desertum servituti non esse obnoxium, & sic liberum a vinculo coniugii. Quamvis Apostolus cit. loco de infidelibus loquatur, a Theologis tamen & Jctis hoc ad illos etiam extenditur, qui temere, & ex odio in conjugem discedunt, & suorum curam non habent, tales enim ex sententia S. Pauli 1 Timoth. 5. vers. 8. ethnico pejores sunt, & sic Paulus 1 Cor. 7. fideli libertatem non concedit, quod pars discedens sit infidelis, sed quod discesserit, & per hoc omnem fidem abnegaverit, ipsoque infideli deterior factus sit, proinde infidelitas ibi non est causa divortii, sed discessus ipse, seu subsecuta malitiosa desertio, vid. LAVTERB. ad ff. tit. de divort. s. 16. In praxi, ut quis pro malitioso desertore habeatur, requisita sunt sequentia, 1) ut instituatur accurata causæ cognitio, 2) ut citatio publica fiat in trium diversorum dominorum territoriis peremptoria, ut ita constet editatiter evocatum non comparuisse: de modo & formulis hujus negotii vid. CARPZ. J. C. l. 3. def. 58. seq. ex supra dictis appetat, allegata loca S. scripturæ sibi invicem non esse contraria, neque dicta Apostoli 1. ad Cor. 7. re-

B

fra-

fragari assertioni Christi: Matth. 29. vers. 9. ubi exclusive loquitur Salvator, quod nemini divorcium concedendum sit, nisi ob adulterium: agit enim Christus ibi de marito faciente divorcium, Apostolus autem loquitur de marito patiente divorcium, sunt itaque diversi casus, cum Christus de parte propter adulterium deferenda, & Apostolus de parte tam malitiose deserta loquatur. vid. GERHARD. loc. Theol. tom. 7. §. 607. ubi ita statuit: *Particula ita Christi (nisi) non secludit eas causas, que adulterio equiparari possunt, aut substantiam matrimonii convellunt, sed tantum opponuntur coniugitali Iudeorum, qui quavis etiam levi de causa faciebant divorcium per legem scil. Mosaicam, quae deinde per ipsum Dominum sublata est: unde non inconcinne queritur, an Iudeis in locis, in quibus hodie adhucdum degunt, liceat observare leges Mosaicas? ad quod breviter dicimus, in casibus, quos lex Mosaica determinat, quoad ipsos Iudeos legem Judicialem Mosaicam observari, tanquam jus speciale inter ipsos Iudeos, sicut statuta mercatorum inter ipsos mercatores servantur.* vid. l. 7. C. de conf. pecun. in fin. secus si Iudeus litigaret cum christiano, tum enim circa nostra jura causae inter Iudeum & Christianum dirimi ac decidi debent. l. 8. C. de Iudeis. His consentaneum est, Iudeis divorcia, ubi tolerantur, secundum legem Mosaicam causa a sacerdotibus ipsorum cognita, permittenda esse, ita statuunt TUSCH. & alleg. lit. i. concl. 368. n. 2. TIRAQVELL. de primogen. q. 66. n. 25. FARIN. fragm. crim. P. 3. n. 652. MARQ. de sy-  
SANN. tr. de Iudeis P. 2. cap. 4. n. 10. MARANT. in specul. aur. Part. 3. n. 58 seq. pag. 23. dissent. WENZER. tract. de conjug.

CAPVT

## CAPVT II.

De Divortio in specie ob insidias vi-  
tæ structas permisso.

§. I.

**H**actenus dictum est de veris, atque apud nosfros indubitatis duabus divortii causis, puta adulterio & desertione; verum illud apud omnes non satis expeditum est, utrum insidiæ, alteri conjugum structæ, justam pariter divortio præbeant causam? ad quod antequam respondemus, primum atque ante omnia illam quæstionem examinabimus, an ad causas divortii in lege Divina expressas alias quoque similes vel majores adjicere licet? quod fortiter negant. *SANCHEZ de matrim. l. 10. disp. 18. n. 6. seq. BEZA in tract. de repud. § divort. & cum pluribus aliis WERNH. part. 4. obseruat. 6. qui simul præjudicium ad requisitionem der Stifts-Regierung zu Wurzen allegat in verbis: Daß Klägers Suchen, gestalten Sachen nach, und in Ansehung, daß das libellirte factum weder pro adulterio, noch malitiosa desertione, also pro causa iusta divortii totalis feines weges zu achten, nicht statt habe. Potissimum argumentum fautores hujus sententiae ponunt in *Text. Matth. 19. v. 9.* eoquod Christus ibi nullam divortii causam præter adulterium admiserit, & insidiæ vitæ aliae que similes causæ neque ad adulterium, neque ad malitiosam desertionem commode referri queant; sicque fundant se hi authores in manifestissimo illo Christi interdicto, *quod Deus coniunxit, hominē non separet. Matth.**

B 2

19.

19. atque, cum hæc voluntas divini legislatoris aper-  
ta & clara sit, omnis interpretatio extensiva exulare de-  
bet, neque in tanta verborum luce ex incertis conje-  
cturis, puta duabus sectis, quæ tempore Christi inter  
Judæos invaluerant, contraria præsumptio, aut violen-  
ta textensio elici poterit. Judæi namque illo tempo-  
re in dūplici versabuntur errore, putantes 1) quod di-  
vortium in l. Mosaica præceptum foret, 2) quod ex ea-  
dem lege illud permitteretur ob quascunque, etiam  
levissimas causas: quæ dubia objeta Christus decidit,  
& quoad prius membrum pronunciat, Mosen divor-  
tia concessisse propter duritiem cordum eorum, non  
vero præcepisse, quin potius tantum indulssisse, id quod  
pluribus declarat LAYM. l. 5. trah. 10. P. 3. c. 6. BVX-  
TORG. de spons. & divort. P. 2. §. 3. Ad secundum mem-  
brum respondet divinus legislator, non esse divortium  
permittendum propter quascunque causas, sed tantum  
ob adulterium: ex quibus inferunt, quod, si Christus  
voluisse, ut etiam insidiæ vitæ aliæve prægnantes  
causæ ad totalem matrimonii dissolutionem suffice-  
rent, sine dubio illud decrevisset, cum tamen causam  
adulterii solummodo exceperit. Quando igitur Chri-  
stus ad quæstionem, *licetne homini dimittere uxorem suam  
quavis de causa?* Simpliciter negative respondit, solam-  
que adulterii causam exclusit, Phariseis reliquas totalis  
divortii causas haud dubie inhibere, & per consequens  
etiam illum modum, qui in insidiis vitæ structis præsi-  
dium quærerit, excludere voluit.

## §. II.

In his non acquiescunt cit. Authores, sed ultro  
pro-

progrediuntur, provocantes ad Text. *i. Cor. VII. v. 10.*  
ubi S. Paulus hujus exceptionis non meminit, sed sim-  
pliciter afferit: *iis, qui matrimonio juncti sum, praecipio  
non ego, sed dominus, uxorem a viro non discedere, quod si  
discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. vid. Marc.  
10. Luc. 16.* alias metuendum esse dicunt, ne pristina di-  
vortiorum libertas redeat, & sensim cum insigni ec-  
clesiae detrimento iterum iterumve introducatur, atque  
ad illud, quod Apostolus adulterio malitiosam desertio-  
adjunxerit, reponunt, Christum de causa, propter quam  
facere divortium licet, loqui, Paulo autem de casu,  
ubi quis illud non intendit, sed invitus patitur, sermo-  
nem esse, quibus addit CARPZ. in *Jurispr. Consist. l. 2.  
def. 21. n. 7.* matrimonium non esse contractum tan-  
tum civilem, sed tale negotium, cui character spiritua-  
lis est impressus, quippe foedus matrimonii sanctissi-  
mum, non tam a contrahentium consensu, quam Dei  
authoritate dependens. Inde Idem CARPZ. cit. loc. n. 8.  
ait: *est hinc matrimonium de causis spiritualibus sive ecclae-  
siasticis, de quibus vere ait Ponitess, ea, quae spiritualia  
sunt, & conscientiam concernunt, facilius construuntur, quam  
destruuntur, ut sic citra causas in lege divina expressas  
totalis quoad conjugale vinculum dissolutio non sit ad-  
mittenda, praesertim cum matrimonium in C. fin. x. de-  
finit. & re Judic. ad causas favorabiles referatur, adeo-  
que pro ejus conservatione potius pronunciandum sit:  
accedit, quod in materia conscientiae jus Canonicum  
obtineat, deciditur autem hoc jure, & quidem in c. i.  
x. de divort. quod, si aliqua mulier in mortem mariti  
sui consiliata est, possit ipse post mortem uxor, si vo-  
luerit,*

Iuerit, aliam ducere, ipsa autem insidiatrix poenitentiae  
absque spe conjugii manere debeat subjecta: ex quibus  
sequitur, quod, cum demum post mortem uxoris  
aliam ducere possit maritus, vivente ea matrimonium  
plene dissolutum non fuerit; Huc quoque pertinet,  
quod alia legitima remedia supersint, utpote cautio de  
non offendendo, separatio quoad thorum & mensam,  
& similia, quibus parti innocentii prospectum satis, at-  
que consultum erit.

## §. III.

His tamen omnibus non obstantibus sententiam  
affirmativam tanquam veriorem amplectimur statuen-  
tes, quod delicta adulterio graviora aut paria, quae  
scilicet substantiam matrimonii evertunt, ad totale di-  
vortium sufficient, atque ita insidiæ vitæ alterius con-  
jugis structæ sint justa dissolvendi vinculi matrimonia-  
lis causa: Consentiunt nobis Doctores & numero, &  
authoritate graves, inter quos evolvi merentur STYK.  
in U. mod. Pand. tit. de divorci. Et repud. a §. 9. usque 50.  
BRÜCKNER in decis. matrim. cap. 18. n. 20. STRUVIVS ex-  
ercit. 30. ibes. 41. KOEPPEN enucleat. decad. 3. quest. 2.  
n. 65. WILDVOGEL. resp. 195. HERMAN. ref. 164. pag.  
697. seqq. BOEHMER ad Jus Eccles. libr. 4. tit. 19. de diver-  
tiis, aliquie complures ab eo relati, quorum tam veterum,  
quam recentiorum vestigia non inique sequi li-  
cebit. Pro veritate hujus opinionis sequentia militant  
fundamenta:

I. Christus Matth. 19. v. 9. non excludit insidias  
vitæ structas, non enim causas divorciorum ibidem di-  
numeravit, sed tantum ad quæstionem, an ob quamvis  
causam

*causam uxorem liceat dimittere?* respondit, neminem debere ab uxore divertere, nisi ob adulterium: non ergo voluit his verbis Christus excludere causas aequales vel majores, de quibus non erat consultus, sed minores solum apud Judæos usitatos divortiorum modos exceptit, respondit enim tantum ad illa capita, de quibus tunc temporis controversia erat, scil. de minoribus causis; Unde, si salvator super causis majoribus interrogatus fuisset, idem procul dubio respondisset: Nam nec Donatius malitiosæ desertionis facit mentionem, & nihilominus per eam recte dissolvi matrimonium censuit S. Paulus, quia desertor fidem conjugalem solvit atque rumpit; Jam autem, qui alterius conjugis vitæ insidias struit, magis fidem disrumpit, quia non tantum vinculum, quod natura ob cognationem naturalem inter omnes homines constituit, ausu temerario conculcat, sed & arctissimum foederis connubialis vinculum impugnat, destruit, & subvertit. Major proinde struttis vitæ insidiis ineft malitia, quam adulterio, per attentatum enim *uxoricidium* vel *mariticiidium* duplici vinculo clades infertur, non æque per adulterium, atque affectui conjugali nihil magis adverfatur, nihilque effentiam ipsius conjugii magis destruit, quam hostiles vitæ insidiae in necem conjugum struttæ, licet forsitan impio & fædfrago consilio eventus non respondeat. BOEHM. cit. loc. §. 31.

II. Insidiae vitæ sub illa exceptione Christi, *et non in propriis*, non modo ex paritate rationis, verum etiam vi verborum continentur, nam nomen *proprietatis*, quo uetus est legislator divinus, omnem foeditatem denotat, quæ matri.

matrimonii substantiam destruit, vid. SELDEN. de Jur. nat. § gent. l. 7. c. 12. præsertim apud Hebræos, vid. Text. ad Hebr. 13. v. 4. hoc vocabulum latius patet, & significat omne crimen, quo abalienamus nos ab alio, quod sit tum per fornicationem, tum per alia graviora delicta, imo & verbum fornicationis in sacris paginis sæpius non pro adulterio, sed alio gravi scelere accipitur. Sic Deut. 31. v. 16. populus dicitur fornicari post deos alienos, & Judic. 19. v. 2. fornicata aduersus maritum uxor, quæ ab illo divertit sine adulterio, nec aliter illud Christi dictum Matth. 19. v. 9. Sacri ordinis virti & Jureconsulti nostrarates declarant. vide HERMAN. resp. cit. loc. pag. 697. WILDVOG. cit. loc. KOEPPEN. decad. 3. q. 2. n. 65. LVTHER. Tom. V. Jen. germ. lib. d. caus. mat. p. 2. verb. Es sind noch viel mehr Fälle, (sc. da die Ehescheidung statt hat) als wo man Gift oder Mord besorget. RICHT. Vol. 1. P. 5. Conf. 17. n. 19.

## §. IV.

Hanc sententiam III. confirmat Concilium Wormatiense, ubi Canon. V. edit. Reg. Concilior. Tom. 17. ita habet: Si qua mulier mortem viri sui cum aliis hominibus consiliavit, & ipse vir ipsius hominem se defendendo, occidetur, & hoc probare potest, ille vir potest ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam accipiat. Quod Concilii dictum eodem sensu a GRATIANO repetitum in Can. si qua mulier 6. c. 31. q. 1. & quamvis hoc deinde a Pontifice Gregorio IX. in cap. X. de divorc. correctum sit, simulque statutum, ut maritus, si voluerit, nonnisi post mortem uxorius aliam ducat, hoc tamen in Ecclesiis Catholicorum remansit, ut hanc ob causam perpetua separatio

paratio locum habeat teste PONCE de matr. l. 9. c. 23. n. 9.  
adeo, ut divertenti integrum sit, Religionem invito  
nocente ingredi.

IV. Eidem non minus robur addunt præjudicia,  
quæ allegant HERMANN. & WILDVOG. cit. loc. nec  
non JCTri Jenenses an. 1693. in verbis: alldieweil aber  
nach der täglichen Praxi der Evangelischen und protestirenden  
Consistoriorum die Ehescheidungen aus solchen Ursachen,  
welche ad adulterium oder malitiosam desertionem  
redigirt werden können, zugelassen. sc. und insonderheit  
pro sufficiente divorciī causa geachtet wird, si per vene-  
num uxor insidiata fuerit mariti vitæ. &c. Id quod  
BRÜCKNER Dec. matrim. cap. 18. n. 21. de Consistorio  
Fridensteinensi similiter attestatur: accedit

V. quod Imperatores quoque Christiani, sub  
quorum Imperio tam sanctitate quam eruditione clari-  
ssimi Theologi Nazianzenus, Theodoretus, Augustinus,  
Hieronymus, Ambrosius & alii floruerunt, nemine con-  
tradicente divorcia ob hanc causam admirerint, & per  
aliquot saecula observaverint, ut idcirco dubitandum  
non sit, quin & hodie Magistratus propter insidias vi-  
tae stratas pro concurrentibus circumstantiis totale  
divortium concedere possint.

## §. V.

Supereft, ut argumenta, quibus contraria negan-  
tium sententia innititur, paucis diluantur; Et quidem  
præcipuum illud ex Text. Matthei 19. v. 9. petitum per  
ea, quæ hucusque adduximus, sua sponte concidit:  
negamus enim, quod contra voluntatem Christi alias  
divortii causam statuamus, cum citata verba quo ad

C

origi-

originem suam alias graviores causas, & sic quoque insidias vitae structas non per extensionem sed comprehensionem involvant, ut ita non verba captare, sed quamente quid dicatur, animadvertere oporteat. *l. pen. ff. ad exhibend.*

Ad effatum Apostoli Pauli *1 ad Cor. 7.* quem locum Canonistæ pro se notant, dicimus, quod hæc & similis sacræ scripturæ prohibitio accipienda sit de divortio privato, non de illo, quod ex causa legitima & de Jure approbata Magistratus autoritate publica permisum est, quia sic Deus non homo per manus Magistratus separat, quando justas & legitimas ob causas publico judicio conjugium solvit: quando olim Corinthii, homines alioquin luxuriosi, sine ulla etiam, vel levissima saltet causa actuale divortium faciebant, S. Paulus cit. loco ipsis legem præscriptis, vel potius ex mandato Divino legem jam præscriptam eis inculcavit, ut, quæ uxor a viro ita leviter discedit, aut maneat innupta, aut viro reconcilietur, siquidem nemo sibi Jus dicere debet: *l. un. C. ne quis in sua causa jud. dicta ergo loca ad Magistratum legitime cognoscendem non spectant, cum dissolutio, quam authoritate divina ex justis causis Magistratus decernit, vera esse debat, nec innocentia personæ captiosa: arg. text. Matthæi 19. v. 9.* Quam doctrinam HERMANN. in *Responso 164. pag. 691.* sequenti tenore illustrat: so wird auch in göttlicher Schrift, wann schon an alle Menschen insgemein ein Verbothen ergehet, doch die höchste Obrigkeit damit nicht gemeinet; als wie, wann allen Menschen-Kündern verbothen ist zu tödten, und Blut zu vergießen, dennoch die

die Obrigkeit zu solchem Ende das Schwert trägt, nicht als Menschen, sondern als Gottes Diener und dessen Vicarii auf Erden. ic. Pari ratione lex illa generalis, *quod Deus coniunxit, homo non separat*, intelligi debet, proinde magistratus ob gravissimas causas, & ad majora mala evitanda divertia non jure hominum, sed jure Dei recte permittit.

## §. VI.

Si denique putent dissentientes alia remedia superesse, quibus parti innocentii sufficienter cautum sit, meminerint, oportet, quod temporalis *quoad iherorum* separatio, & illi eventualiter annexa cautio de non offendendo sint admodum fragilia & periculosa consilia; Quis enim parti innocentii suadebit, ut post temporum intersticia se hosti jugulandam rufus tradat; Sane evidet eo minus praestari potest, quo certius est, conjugem innocentem semel intererum a nocente per cautionem ab ipso praestitam resuscitari, & in vitam restitui haud posse, quid? quod qui semel malus, centies talis prae sumitur in eodem genere delicti; Rationes igitur sufficienes deficiunt, quibus Iudex post temporis lapsum innocentii legem, ut ad insidiatorem revertatur, imponere praelumit: Quod attinet separationem *quoad iherorum* perpetuam, eam plane rejicimus, cum in effectu matrimonii essentiam, omnemque prorsus cohabitationem tollat, & in perpetuum conjuges a semet invicem alienet, eosque totaliter sejungat ac dividet. Postremo loco addimus; quod, cum matrimonium sit mutuum vinculum, & mutua relatio, non possit una persona libera declarari, altera vero etiamnum

iamnum obligari, hoc ipso enim, quo vinculum ex parte v. g. desertæ rumpitur, ex parte quoque desertenis solvitur, cum correlatorum sit eadem ratio: quod pariter JCti Hallenses admittunt in Responso, quod adducit STRYK. disp. de Malit. conjug. desert. §. 47.

Nec obest, quod novo indignus sit matrimonio, qui fidem conjugi datam semel violavit. *Resp.* retorquendo hoc argumentum: num ergo is, qui semel statu gratiæ excidit, nunquam redeundi spem habebit? utrum ille, qui semel fidem paſtitiam fregit, omnimoda imposterum pacificandi potestate destituetur? Profecto cœlibatus ratione eorum, qui dono continentiaæ gaudent, non minus est Ordinatio divina, quam matrimonium respectu illorum, qui illo destituti se urientiunt, cui Ordinationi nos pie submittimus, filumque abrumpimus.

## FINIS.



Erlurt, Diss., 1748-51

X 2387035

ULB Halle  
006 771 165

3




VD 78





27

B.I.G.



DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

# PERMISSO OB INSIDIAS VITAE STRVCTAS DIVORTIO,

QVAM

EX DECRETO ET AVCTORITATE  
MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS

IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI,

SVB PRAESIDIO

## DN. JO. GEORG. BRÜCKMANN,

J. V. D.

JUDICII ARCHI-EPISCOPALIS ECCLESIASTICI ET ELECTORALIS PROVINCIALIS  
ASSESSORIS, NEC NON PROFESSORIS PVBLICI, ET CIVITATIS ERFOR-  
DIENSIS CONSULVIS,

PRO SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS,  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

HORIS CONSVETIS

DIE XXIII. AVGUSTI MDCC LI.

SOLEMNI ERVDITORVM VENTILATIONI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

## CHRISTIANVS LVDOVICVS GERSTENBERGK,

RONNEBVRGICO - OSTERL. IN DVCATV ALTENBVRGENSI  
ADVOCATVS IMMATRICVLATVS.

ERFORDIAE

Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

